

‘Hoc dico’, inquit, ‘te esse e municipio.’ Fa- § 23.
 teor et addo etiam: ex eo municipio, unde iterum
 iam salus huic urbi imperioque missa est.

... magna cum gloria subdidit consensionem amplectens
 5 municipii sui Arpinatis egregiam nobilitatem: unde et
 C. Marius exstiterit, bellorum maximorum strenuissimus
 victor, et ipse, cuius consulatus ad opprimendam Catilinae
 coniurationem salutaris inluxerit.

Nemo istuc M. Catoni seni, nemo Tiberio
 10 Coruncanio, nemo Manio Curio.

M. Cato ille Censorius et Tib. Coruncanius fuerunt e
 municipio Tusculano; Manius porro Curius, qui de Sam-
 nitibus triumphavit, Sabinis oriundus videtur, ubi etiam
 foculo adsidens aurum, sibi quod hostes optulerant, re-
 15 pudiavit confessus votum sibi esse praecipuum, non ut
 ipse opibus adflueret, sed ut pecuniosis hostibus imperaret.

Est enim ipse materno genere municipalis. § 25.

Quos in totum destruere non potuit, ex parte de-
 struxit. Nam familiae Manliae veteris egregia nobilitas
 20 eminebat, sed maternum genus humilitare conatus est,
 quasi non sit illi ad originem parentis utriusque dignitas
 vetustatis aequalis.

Honestissimi generis, sed tamen Asculani.

Asculum civitas est in Piceno, unde etiam principia
 25 belli socialis arserunt.